



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

HONORATISSIMO

J O A N N I

COMITI DE BREADALBANE,

GENERE ET PROAVIS

INSIGNI;

AT

AMORE IN PATRIAM,

ET

VIRTUTIBUS SUIS

PRIVATIM AC PUBLICE,

INSIGNIORI;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. C.QUE

GEORGIUS CAMPBELL.



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

---

**C**ONSENSUM istum mirabilem, seu sympathiam, ventriculum inter aliasque corporis partes, nullo ævo non animadvertunt medici. Et quamvis rationem reddere non possumus, factum certe optimo jure attentionem sibi vindicat, præsertim cum agimus de ventriculi vitiis. Sensibilis adeo quidem est ventriculus impressionibus in alias partes factis, ut a quibusdam pro animi sede

A

habitus

habitus fuisset. Consensus hic partium manifestior est quam ut argumentis confirmandus sit.

Nec animi et ventriculi mutua actio inter se minus apparens, minusve attentione digna.

Ventriculus aliis partibus obnoxior est morbo, non modo propter officium quo fungitur, sed quoque propter insignem ejus sensilitatem impressionum in alias partes factarum. Vulgatissimum vero pessimumque hujus organi vitium, cui magna pars urbanorum multique cupidi literarum subjecti, est Dyspepsia.

Tam multa, tamque varia sunt symptomata hunc morbum comitantia, ut illum clare definire in difficile fuit CULLENO ipsi : his utitur verbis :

“ Anorexia,

“ Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ruc-  
“ tus, ruminatio, cardialgia gastrodynia, pau-  
“ ciora faltem vel plura horum simul concur-  
“ rentia plerumque cum alvo astricta et sine  
“ alio vel ventriculi ipsius, vel aliarum par-  
“ tium, morbo.”

### HISTORIA.

In hoc tentamine nostro symptomatum notabiliorum et frequentiorum solummodo, in animo est mentionem facere.

Cibi appetentia imminuta, etsi non semper adfit, certe frequentissimum signum est. Aucta vero est aliquando, forsitan ex alimenti mutati, vel secretionis vitiatae acrimonia ventriculum irritante, tuncque cibus avide devoratur et pro tempore omnia mitigat symptomata.

#### 4 DISSERTATIO MEDICA

Una cum appetentia imminuta adest ventriculi, nullo cibo sumpto, distensio; anxietatis et ponderis in epigastrio sensus post partum auctus; frequensque cardialgia.

Symptomata hæc sæpe per multum tempus durant, nulla alia, præter animi functionem, læsa. Morbo vero ingravescente languescunt functiones et corporis et animi. Demissus fit animus; vis muscularis imminuta; ægerque inaptus ad vires vel corporis vel animi intendendas.

Ex distensione magna ventriculi et intestinorum spasmus inducitur; inde gastrodynia, quæ anorexia alleviatur. Aliquod tempus post partum acor in ore sentitur, et cum aëre per gulam erumpente contenta ventriculi sæpe rejiciuntur, pro natura ingestorum acida vel putrida.

Alvus

Álvus plerumque est tarda ; contenta vero per remoram acria devenientia intestina irritant, indeque diarrhœa ; hoc certe pro naturæ conamine salutari est habendum. Adfunt nunc dolor et anxietas in præcordiis ; capitis dolor ; et palpitatione sæpe multum cruciatur æger. Quo magis progrediuntur hæc symptomata, eo magis infirmitas, macies, actio debilis cordis et arteriarum notantur.

Aliquando attamen per multum tempus durat dyspepsia incommutata signis infirmitatis modo dictis, ventriculus tamen capax digerendi quanto pro corporis nutritione eget natura ; vitiumque ex nimia copia ingestorum oriri apparet. Male enim (si verbis GREGORII uti fas sit), de appetitus defectu conqueruntur belluones, quum corpus, mente sanius, cibum quo non eget fastidit et respuit.

Morbo inveterato gravior et constantior evadit ventriculi dolor ; frequens vomitus adest,



et sub motu etiam minimo inductæ sunt palpitatione et dyspnœa. Languescit circulatio; frigescunt extremitates; calor corporis omnesque secretiones imminuuntur; et perspiratione impedita cutis fit pallida et sicca. Oculi evadunt hebetes gravesque; lingua tegitur materia albida viscida; noctes vigilantur amaræ; aut turbatur æger somniis horrendis, aut incubone aliquando deluditur. Animi priorem suavitatem et amœnitatem amittit; evadit timidus tristis spemque abjecit; levitatem etiam minimam ratione morum præterita in crimen amplificat.

In ultimo hujus morbi statu adest infirmitas maxima. Adeo languescunt excretiones omnes, ut leucophlegmasia, hydrope citius vel serius venturâ, supervenit. Febris hæctica extremo morbo aliquando accidere dicitur. In hanc vero raro vel nunquam abit dyspepsia.

**Dyspepsia**

Dyspepsia cursum suum pedetentim plerumque absolvit, sed quoad severitatem multum differt, et dum in aliis alicui morbo fatali viam patefecisset, in aliis per vitam longam et quo ad cætera integram permanfit.

## DIAGNOSIS.

Ut ad morbum primarium dirigenda est curatio, inter vitium ventriculi idiopathicum et symptomaticam affectionem sæpe accidentem, dignoscendum est; hocque plerumque facile factu. Si enim symptomatica fit alius morbus præcedit, saltem eodem tempore et accidunt et decidunt dyspepsia et morbus primarius.

Hujus vitii signa haud raro occurrunt ex podagra atonica pendentia. Tum vero dignoscenda

cenda est podagra, ratione habita ad sexum, ætatem, et similia.

Dyspepsiæ symptomata graviora, ex schirropylo-ri aliquando originem ducunt; tunc vero magis constans graviorque est dolor, pressione auctus; et pylori tumor sæpe evidens est.

In difficili profecto est fines certos ponere inter hunc morbum aliumque valde similem, viz. Hypochondriasin. In differentia temperamentorum cardo rei vertitur. Dyspepsia in sanguineo tantum obvenire dicitur; hujus temperamenti signa sunt; corporis compago laxa; fibra mollis; humores abundantes; generis nervosi sensibilitas magna; animus hilaris mobilis. Melancholicum autem temperamentum solum hypochondriasi est obnoxium, quod insignant, solidi rigidi; humores minus abundantes; animus ad impressiones recipiendas

das minus aptus, valde pertinax vero et propositi tenax.

Si singuli homines ad alterutrum horum temperamentorum clare pertinerent, tum morbos, etiam si eadem causa productos, discretos semper inveniremus : effectus enim longe alios, eandem causam, pro ratione subjecti, præstare, satis notum est. Quoniam vero temperamenta in variis gradibus invenimus, et quamvis non conjuncta alterum saltem in alterum sensim transiens, morbos plusquam temperamenta discretos existere, non expectandum. Observandum quoque est, homines, qui prima ætate temperamentum habent sanguineum, progressu vitæ ex eo temperamento secedere et versus finem ad melancholicum appropinquare. Apparet profecto hominem prima ætate non discrepare plus ab alio ejusdem ætatis, quam provecta ab juvenile temperamento suo. Inde homines, in

quibus neutrum temperamentum exacte formatur, prima ætate dyspepsiæ, provec̃ta hypochondriaci obnoxii sunt.

In diversis temperamentis eadem causa applicata diversi oriuntur effectus. In sanguineo nempe debili fibræ procliviore ventriculi affectio, in temperamento melancholico autem animi depressio, vitium præcipuum evadere potest.

Et homines medii, in quibus nec unum nec alterum temperamentum ad vivum depingitur, uni vel alteri horum morborum minus obnoxii sunt : qui enim non sanguinei ad fibræ debilem, quique non melancholici ad animi depressionem, minus proclives.

Constat igitur, hos duos morbos fere esse ejusdem generis et ex eadem causa oriri posse, quæ pro ratione temperamenti diversa producit

ducit symptomata. In hypochondriaci animi depressio, quæ semper præcipua est affectio, generaliter quoque primaria videtur; in dyspepsia autem ventriculi infirmitas, ex qua directe veniunt signa graviora, a vitio organico hujus organi plerumque oritur. Ratione habita ad causas et temperamenta, curatio in utrisque prope eadem est, nam quoniam hæ affectiones alia aliam mutuo augent, ad animi pariter atque corporis statum dirigenda est medicina.

#### CAUSA PROXIMA.

Quamdiu apud medicos de causa concoctionis, tamdiu de causa proxima hujus morbi, diversæ erant opiniones. Nunc vero ab omnibus concessum est, liquorem quendam in ventriculo secretum, saltem ibi formatum, agentem

tam

tem esse præcipuum ; et hoc officio non rite peracto id vitio damus liquori gastrico.

Quidam vero dum liquori gastrico aliquid attribuant, habent etiam pro agente necessario fermentationem. Quoniam vero hæc fermentatio sui generis videtur, digestiva appellari oportet. Mutatio enim ista chemica, quam subeunt ingesta liquoribus ventriculi commissa, longe alia est ac ea quam alioquin subirent, si vel motui peristaltico tantum, vel calori extra corpus subjecta essent. Hæc fermentatio non satis definita, opinionum adeo discrepantium forsitan causa est.

Fermentationi magnâ vi repugnat liquor gastricus ; observationeque dignum est, ut si ullo tempore cibus nimius devoretur, tum ad fermentationem resistendam impar evadit liquor gastricus, et pro tempore adsunt dyspepsiæ signa. Denique quo minus adsunt  
symptomata

symptomata fermentationis, eo melius concoquitur.

Ut ad secretionem idoneam quædam fibræ muscularis tensio necessaria est, ita hujus vitii causa proxima fibrarum ventriculi infirmitas haberi potest. Satisque probabile est hanc infirmitatem adesse simul, et in ipsius ventriculi, et in vasorum secernentium fibris. Quomodo secretio afficitur fibris muscularibus ventriculi parum constat; videtur tamen, a fibra debili vasorum secernentium magis pendere pravam concoctionem.

CAUSÆ



## CAUSÆ REMOTÆ.

Causæ quædam in ventriculum ipsum protinus agunt; aliæ alias corporis partes primitus afficientes effectum præcipuum in ventriculum edunt. Multæ vero tum in ventriculum ipsum, tum quoque in reliquum corpus simul agunt: itaque causarum divisio pro ratione partis affectæ, vel modi quo operantur difficillima est.

Ventriculi infirmitas induci potest medicaminibus sedativis dictis, quæ ventriculo applicata directe actionem minuunt; et idem effectus indirecte inducitur, causis natura prorsus diversis, nempe stimulantibus; nam omnibus notum est, actionem præter naturam auctam

auctam postea præter naturam imminutam esse, vel ut loquitur CULLENUS, excitationem sequitur collapsus. Debilitatur quoque ventriculus omnibus, quibus fibrarum relaxatio inducitur. In multis causis conjunctæ sunt hæ vires nocentes; præcipuarum mentionem faciemus separatim.

Inter medicamenta, quæ in ventriculum protinus agunt, eminet Opium. Analogiam existere inter hoc et liquores spirituosos, quoad modum operandi, satis probabile est. Procul dubio dosi parva stimulans evadit; magna autem dosi vim nervosam protinus extinguit. Vis qua gaudet ad ventriculi sensibilitatem minuendam Turcis adeo nota est, ut eo, ad sensationem famis hebetendam, utuntur. At nunc dierum non necesse est, ut Constantinopolin adeamus, quo testes simus effectus hujus medicamenti: nam, qualiscunque sit modus operandi, usum ejus intemperatum diuque protractum

tractum nunquam non ventriculum infirmiorrem reddere, quotidianam experientiam monstrare fatendum pariter atque dolendum est.

Liquores spirituosos pollere in actione ventriculi excitanda, haud negandum est. Eos ventriculo vires suppeditare ad cibum plus justo devoratum concoquendum facile patet: hic vero, sicut alibi, actionem præter naturam auctam sequitur actio imminuta; nuncque auctoritatem debitam stimulus naturalis non exercet, inde repetitionis necessitas, jamque consuetudo ejus facta est. His liquoribus totum corpus debilitatur, et eorum actio in ventriculum ita plurimum augetur. Conditio relaxata, debilis, et irritabilis animi pariter atque corporis post vinum hesternum, effectus eorum noxios bene designat.

Theæ et Coffeæ usus communis, a multis putatur causa nunc dierum frequentissima hujus

jus vitii ; et certè vitæ luxuriosæ junctus effectus minimè salutare edit. Hæ enim herbæ vi quadam narcotica, ventriculi nervis inimica, gaudent. Vis verò maximè debilitans, a nimia aqua callida assumpta, qua fibræ musculares relaxantur, pendere apparet.

Nicotiana sub quacunque forma narcotica et noxia est : manducata salivam consumit, quæ alio modo quam mera dilutione digestionem favere potest. Naribus inhalata pars sæpe ventriculum adit, ubi pro certo effectus pessimos producit. Vapores ejus inhalati minus lædunt, quoniam vero, ut alia narcotica famem minuunt, testimonium est certum ventriculo alienos esse.

Ingluvies ventriculum multùm lædit ; ex nimia distentione enim fibræ ventriculi, ut sæpe eadem ex causa iis vesicæ urinariæ accedit, paralyticæ fieri possunt ; et cibis nimius devoratus symptomata dyspepsiæ

temporariæ edit, quibus, ad ventriculum infirmiore[m] reddendum, nihil magis conducit.

Vomitus frequens quoque ventriculo valdè inimicus est. Ex actionis etiam violentia oritur ventriculi injuria. Magnam relaxationem in corporis superficie a vomitu induci observatum est, inde concludere fas est, relaxationem similem accidere ventriculo, quippe mirus inter eos observatur consensus.

Ex causis quæ effectus suos in alias corporis partes primitus edunt, præcipua est vita sedentaria; quæ sive indolentia, sive studio nimis intenso conjuncta, extat certe inter causas hujus morbi frequentissimas. Ad varias enim functiones tum corporis tum animi ritè exequendas, modus certus et exercitationis et relaxationis necessarius est. Corpore inexercitato languent functiones omnes, ventriculusque propter consensum ejus cum aliis partibus, et præcipuè motu peristaltico diminuto, modo peculiari

culiari afficitur; nec minus certe ex animo nimis studioso patitur ventriculus.

Bene et pulchrè dixit Poeta :

“ Sweet recreation barr’d, what doth ensue  
“ But moody and dull melancholy,  
“ Kinsman to grim and comfortless despair ;  
“ And at her heels, a huge infectious troop  
“ Of pale distemp’ratures, and foes to life ?”

Anxietatis et perturbationis animi effectus in ventriculum fatis superque noti sunt, et admirabilem partium consensum referendi. Venus nimis culta, ad corpus et animum debilitandum plurimum confert; et hic præcipuè patitur ventriculus. Veneris effectus noxius, ad concussum insignem toti generi nervoso datum sine dubio referendus est.

Frigus humiditate conjunctum corpore inexercitato valdè inimicum est; cutis enim functione læsa postea afficitur ventriculus.

PROGNOSIS.

## PROGNOSIS.

Vitium hoc, etfi multa miseria concomitatum, per se ratio si unquam exitium affert. Periculo vero certè non vacat; infirmitate enim nihil corpus magis obnoxium morbo reddit, periculumque est ne hujus dicti veritas comprobaretur. Medicina sæpe paratur fero, cum longas per moras invalere mala.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Morbus hic etfi instantis periculi expers maturam certè desiderat curationem ne multum diuque lædat. A regimine idoneo multum pendet, hoc non observato medicamentis parum proficitur.

Confilia medendi generalia sunt.

1mo, Causas remotas remove.

2do, Ea symptomata tollere quibus maximè morbus ingravescit.

3tio, Tonum ventriculo restituere.

Quoad



Quoad primum sufficit observare, causas remotas omnino vitandas, aliter spes omnis curationis est inanis.

2do, Symptomata morbum præcipuè augentia sunt. Cruditates, cardialgia, vomitus, gastrodynia, alvi astrictio.

*Cruditates*, Emetica certe promptam operantur: usus vero eorum, si fieri potest, vitandus, quoniam nunquam non ventriculum infirmiores reddit. Haud alienus vero est vomitus ventriculo materia mucosa onusto, vel perspiratione subito impedita.

*Cardialgia*, Sæpe ex acida, raro ex acrimonia oritur; illa corrigenda hæc diluenda est. Ad acida corrigenda utimur alkalinis terrisque absorbentibus. Utile antacidum est aqua alkalina mephitica; vi tonico habetur quoque gaudere. Utiles sunt magnesia et creta,

creta, et propter naturam diffimilem materiæ, quæ ex iis et acido ventriculi composita est, præcipiendæ sunt, illa alvo ficciore, hæc liquidiore. Si utilis est aqua calcis magis vi tonica quam antacida agere videtur. Cibi ascescentis usus vitandus est. Si adfit materia acris, demulcenda est ejus acrimonia potu diluente mucilaginoso.

*Vomitus* opio externè applicato, vel sub forma enematis exhibito, est levandus.

*Gastrodynia* ex spasmo plerumque oritur, confugiendum itaque est ad antispasmodica, opium, æthera vitriolicum, fomentationes.

Quoniam *alvus astricta* morbum semper graviolem reddit, solvenda est, non autem ducenda. Ad solvendam vero medicamenta gaudentia, et vi tonica et cathartica, salibus neutris utiliora sunt, quia intestina firmant  
neque

neque huic ipſi vitio procliviora reddunt. Rheum et aloes ſub variis formis cum fructu utenda ſunt.

3tio, Tonum ventriculo reſtituere. Præſcribenda eſt cibi ratio idonea. Ex rebus facilibus concoctū, ſed ex iis potius quæ tardè ſolvuntur quam facilè vitiantur, conſiſtere debet cibus.

Condita omnia, ſano inutilia, aſſueto vero neceſſaria et ſtomacho laborantibus haud aliena ſunt. Nutrimenti parva ſolummodo quantitas uno tempore devoranda eſt. Admoneantur dyspeptici, ventriculo infirmo parvum opus peragendum eſſe. Ventriculus cibo quem proxime ſumpſerat, ante paſtum, ſemper ſe liberaſſe debet. Conſtat quidem, ventriculum per aliquod tempus vacuum firmiorem evadere.

Ventriculi

Ventriculi actio exhibitis stimulantibus validior evadit, et nisi nimia fit actio nullum sequitur malum. Dubius tamenverò est talium usus, nam ad iis intemperate utendum propensior fit æger, et usus frequens citò habitus evadit. Omnium periculofissimi sunt spiritus ardentés. Haud alienum est post belluationem, auxilium pauxilli spiritus ardentis invocare, delictum verò stat in plus devorando quàm ventriculus sine viribus præter naturam intensis concoquere potest.

Eadem ferè de aromaticis dicenda sunt. Moderatè sumpta ægro sunt utilia; immoderatè æque ac spiritus ardentés effectus noxios edunt.

Usum aquæ calidæ pro stimulo prodesse, observat JOHANNES HUNTER.

In acidorum usu efficax et tutum remedium habemus. Ex his longè eminent fulphuricum. Saporis magis grati est acidum acetosum, et cum commodo utendum. Hæc acida vi tonica et astringente ventriculum confirmant, et vi antifymica fermentationem, qua materia acida in ventriculo generatur, reprimunt.

\* In fale communi stimulum ventriculo amicissimum præbet natura,

. Amara et astringentia actionem magis stabilem edunt, et quoniam haud multum stimulant, effectu pernicioso, ex usu priorum sæpe oriente, quoque vacant. Inter amara extant Gentiana et Chamæmelum. Utilissima verò sunt medicamenta gaudentia et vi amara et astringente, forte etiam aromatica : talis existit Columbo, talis Cortex Peruvianus, &c.

Ventriculo

Ventriculo infirmo maximè utile est ferrum, et amaris conjunctum, remedium efficacissimum evadit. Aquæ minerales, quibus dissolvitur hoc metallum, fonte haustæ, procul dubio utiles sunt.

Medici apud Italos, exhibitione succi gastrici ex aliis animalibus comparati, effectum causæ proximæ hujus vitii tollere proposuerunt. Etsi hoc medici speculativi animum detinere possit, dyspepticum multum commodum inde accepturum esse haud verisimilè est. Si ullo tempore succum gastricum administrare velimus, hoc semper in memoria tenendum est, liquorem gastricum animalis carnivori ad cibum animale, graminosi autem ad cibum vegetabilem digerendum magis idoneum esse.

Licet medicamenta huic vitio sæpe profunt, hic tamen, sicut alias, ubi adest fibræ infirmitas,

tas, a regimine idoneo observato spes valetudinis secundæ præcipuè pendet.

Ante omnia est corporis exercitatio. Effectus hujus in circulationem, præcipuè in vasa absorbentia, bene intelligitur. Modo peculiari cutis, itemque ventriculi, functio afficitur. Appetitu deficiente ægrè semper concoquitur cibus; et ad appetitum promovendum non modo liberatio a cibo quem proximè sumpserat ventriculus, sed totius corporis per exercitationem depletio necessariæ sunt: itaque quem interdium vel domestica, vel civilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod servandum curationi corporis sui est. Aëri puro et tenui objectandum est corpus; hoc enim, et ad corpus firmandum, et animum exhilarandum, nihil magis conducit.

Gas oxigenium minus dilutum, pro totius systematis stimulo, in hoc vitio prodesse fertur.

Exercitatione utendum est, qua placidè detinetur animus. Aptissima apparet equitatio; sed qualis sit, haud multum refert, modo leniter occupatus sit animus et sine corporis fatigatione. Viribus ad exercitationem deficientibus tum ad frictionem confugiendum est.

Lavationem frigidam, stomacho laborantibus esse imprimis utilem theoriâ pariter atque observatione constat.

Ut digestionis functio statu animi mirè afficitur, ita ad animum confirmandum et hilarem fervandum, summa ope niti oportet: et ad hoc nihil magis confert quàm  
ut



ut aliquo negotio haud gravis momenti animus detineatur non vexetur.

Admonitio eleg. CÆLSI stomacho laborantibus nunquam obliviscenda est. Illud quoque (inquit) in omnibus stomachi vitiis præcipiendum est, ut, quo modo se quisque æger refecerit, eo ut sanus utatur; nam redit huic imbecillitas sua, nisi iisdem defendatur bona valetudo quibus reddita est.

F I N I S.